



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Ottonis Regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

coram vobis ausus fuerit comparere, sed dispa-
ruerit potius & ad propria redierit, reliquo
exercitu & disperso. Super hoc igitur nobilita-
tem vestram prosequentes actionibus gratia-
rum, monemus & exhortamus attentius quatenus,
sicut bene cœpistis, eidem Regi de cetero
fideliter & fortiter afflatis, & foveatis ac
promoveatis taliter partem ejus quod ipsius ne-
gotium in brevi dante Domino feliciter con-
sumetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis
impensum quicquid gratiae & honoris ei duxer-
itis impendendum. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO SALZBURGENSI.

Epist. 103.

CVM ob reverentiam apostolice sedis &
nostram carissimo in Christo filio nostro
illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperato-
rem electo curaveris adhaerere, miramur quod,
sicut nobis ex ejus est parte propositum, nec
litteras ad eum nec nuntios destinasti, nec ipsi
curasti aliter subvenire. Ne igitur fides sine
operibus mortua videatur, fraternitat tuæ per
apostolica scripta mandamus atque præcipimus
quatenus eum de cetero non solum litteris &
nuntiis visites, sed taliter in aliis etiam ei stu-
deas subvenire quod in exhibitione operis tua
ejus devotio plenius innoteat, & non videa-
ris nos in eo & ipsum pro nobis tantum labii
honorate. Datum ut suprà.

*PRÆNESTINO EPISCOPO
apostolica sedis Legato.*

Epist. 104.

QVANTA sit obedientia virtus eris ex sacre
paginae didicerimus lectione, in te tamen
jam apertius legimus & familiarius experimur.
Dum etenim quantum negotium tuae devotioni
commisimus intuemur; & quantum onus tuis
humeris duixerimus imponendum attendimus di-
ligenter, agnoscamus quod gravitatem ejus tua
devotio minuit, & molem oneris obedientia le-
vigavit. Ecce etenim Romani imperij nego-
tium, cui non potest præferri aliud in tempo-
ralibus vel conferri, sic Dominus in tua manu
direxit in arcu fortium confirmato, infirmi ro-
bore sint accincti, & potente deposito, si humilis exaltatus. Sollicitudinem ergo tuam in
Domino commendantes & prosequentes actio-
nibus gratiarum, monemus & exhortamus at-
tentius & per apostolica tibi scripta mandamus
quatenus non deficias, sed proficias potius, &
sic cœptis insistas ut in brevi ad nos dante Do-
mino cum palma victoria revertaris, & præ-
sentis gratianas sentias qui absentia haec tenus fer-
vivisti. Datum Anagnie xvii. Kal. Ianuarij,
pontificatus nostri anno sexto.

*ILLVSTRIS REGI OTTONI
in Romanorum Imperatorem electo.*

*Epist. 105.
Arnold. Lübeck.
lib. 7. cap. 4.*

SINCERE intentionis affectum quem circa pro-
motionem regiam habuimus haec tenus &
habemus explicare nos litteris non oportet,
cum pleniū hoc exponat effectus & fideliū in-
terpretentur mentem nostram opera quam scrip-
turæ. Sanè præter opinionem plurium & mul-
torum confilia suscepimus ab initio causam
tuam, de cuius promotione omnes penè desperabant,
& studiuimus efficaciter promovere,
nec te in articulo illo reliquimus quo per-

obitum inclitæ recordationis Richardi Regis
Anglorum avunculi tui videbatis ab omnibus
derelictus. Licet enim pon defuerint qui mul-
tipliciter nos tentant & muneribus & pro-
missis nos vellent à favoris tui proposito revoca-
re, nec precatamen nec pretio, nec minis, nec
monitis potuerunt aliquatenus flectere mentem
nostram quin de die in diem amplius in tua di-
lectione ferventer & ad electionem tuam pro-
pensiū aspiraret. Quamvis autem neque qui
plantat neque qui rigat sit aliquid, sed qui in-
crementum dat Deus, gaudemus tamen in eo
qui dat omnibus affluenter quia ei quod plan-
tavimus & rigavimus incrementum benignus
indulxit, ita ut sicut granum sinapis quod mulier
in horto suo legitur feminasse, planta nostra in
arbore magnam jam excrereat; in cuius ra-
mis volucres colli, dante Domino, in brevi se-
debunt, & sub cujus umbra bestiæ terræ quiet-
cent. Cùm igitur Dominus dirigat gressus tuos
& firmet de die in diem amplius regnum tuum,
monemus serenitatem regiam & exhortamus in
Domino quatenus cùm tempus jam acceperis
opportunitum, opportunè ac importunè, vigi-
lanter & incessanter insistas ut bonum principi-
um finis optimus subsequatur, & optatum
commune desiderium nostrum fortiori effec-
tum, foveas in dilectione ac devotione tua
Principes qui te fovent ut alios melius ad tuæ
serenitatis favorē inducas, & dum Principi-
um tibi favor arridet, ad tuæ promotionis
perfectionem intendas, nec negligas in aliquo
factum tuum, sed omni diligentia studeas pro-
movere. Sane speramus in eo qui est in se spe-
rantium fortitudo quod si denuto profeceris si-
cūt hoc anno diceris profecisse, non erit qui
tuo profectu se opponat vel divina dispositioni
resistat. Datum Anagnie xvii. Kal. Ianuarij,
pontificatus nostri anno sexto.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Innocentio Dei gratia
sacerdotiæ Romanae Ecclesiæ summo Pontifici Otto
eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus
salutem cum filiali dilectione. Cùm post Dñum, Pater
sancte, vos semper habemus propitum & benignum,
sicut exaltatio & sublimatio nostri honoris manifeste de-
clarat, & honorem nobis divinitus collatum Deo & vo-
bis semper velimus ascribere, cùm in cinerem & favillam
negotium nostrum redactum fuisset si manus veltra vel
auctoritas beati Petri in patrem nostrum non declinasset,
hoc semper per oculis habebimus quoad usque vixerimus.
Sane innotescere vobis cupimus quod status noster de die
in diem prosperatur; & hoc non excellentia nostra, sed
Deo & vobis & Ecclesiæ Romanae ascribimus. Regem Bo-
hemie, Langravium Thuringie, Marchionem Moraviae
per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram
sollicitudinem & frequentem; de quo non dubitamus, sed
de die in diem super hoc magis certificamur. Cutiam enim
solem habuimus proxima quinta feria ante festum
beati Martini; in qua multi Principes imperij fuerunt,
Archiepiscopi, Episcopi, Dukes, Comites, & alij quam-
plurimi nobiles. In ea vero tanta lura ordinata & statuta
qua scripsi committere non audemus, sed latore præ-
fencium dilecto & familiariissimo Clerico nostro H. de
Aquila memoria commendavimus, & ei firmiter sub
obtenuit gratia nostra iuxtinam ut vobis omnia per or-
dinem referat. Firmiter enim credimus quod de no-
bis incepistis infra paucos dies, hoc est, in Purificatione
beate Mariae, bono fine consummabitur. Principes enim
superiores, videlicet Archiepiscopus Salzburgensis cum
suffraganeis suis, Dux Austriae cum nobilibus terra sue,
& Dux Bavariae, terras eorum à nobis recipient & fide-

A A a a ij

litatem præstabunt, ita per Dei gratiam quod discordia in gratiam converteret. Expedit enim vobis & nobis ut consilium vestrum & auxilium apponatis sicut videritis expedire. Rogamus igitur paternitatem vestram, ut solito more benignè legationem nostram audiatis, & consilium vestrum, quod magnum est, apponatis, & latorem præsentum H. de Aquileia quam citius poteritis nobis transmittatis; quia in prædicta curia consilio vestro & auxilio unâ cum Principibus imperij uti volumus, facturi quod nobis mandaveritis. Et quæ lator præsentum super iis vobis dixerit indubitanter credatis. Prædicta curia erit apud Vvoldam. Dominus Legatus non interfuit curiae Sufak, quia pro negotiis Ecclesiæ ac nostris ad partes ierat orientales.

*ILVSTRI REGI OTTONI IN
Romanoram Imperatorem electo.*

Epist. 107.

Serenitatem tuam in Domino commendamus quod ingratitudinis virtutum fugiens, & Ecclesiæ Romanæ beneficia recognoscens, nobis post Dominum profectum sue promotionis adscribit & per suas litteras constetur quod negotium ejus redactum esset in cinereum & favillam nisi ei manus nostra & beati Petri auctoritas astirisset. Consideras enim tecum & diligenter attendis quod non labii tantum te curaverimus honorare, sed in omnibus quæ ad promotionem tuam facere videbantur auctoritatem tibi præstithimus & favorem; dumque statum præsentem præterito confers, & utrumque altero diligent meditatione metiris, & qualiter pars adversa, quæ in sua olim potentia confidebat, suis sit ex magna parte viribus energata, consideras, intelligis quantum tibi per favorem apostolicæ sedis acceperit, quantumque factus sis te ipso robustior, & qualiter in promotione tua pars sit altera minorata; quia per Dei gratiam te proficiente deficit, & te crescente decrescit. Gaudemus etiam quod is cuius vices in terris, licet insufficienes, gerimus & ministerium exercemus, judicium nostrum videatur misericorditer approbasse, cum ei quod plantavimus & rigavimus dederit incrementum & datus credatur in proximo ad perfectum. Verum non nostrum, sed suum potius judicium approbavit. Quoniam nos ejus exemplo super imperij Romani negotio non fuimus personarum aut munerum acceptores, nec potentem respeximus & despeximus impotentem; sed potente potius ob causas rationabiles & multiplices reprobato, elegimus & assumpsumus impotentem, ejus inhærentes vestigiis qui exaltat humiles & humiliat contumaces. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus quanto Deus te amplius exaltarit, tanto magis in ejus humilies te conspectu, elationem cordis fugiens & extollentiam oculorum, non solummodo apud Dominum, sed & apud imperij Principes & pauperes quoilibet & minores. Beneficia quoque apostolicæ sedis assidua tecum meditatione recensens, eam, sicut debes, in capite venereis, & in membris honores; sciens quod caput membro gaudenti congaudet, & parti dolenti suum condolet universum. De nobis autem, quorum constantiam es expertus, si quid tibi fuerit sinistri suggestum, omnino non credas; sed puritatem nostram ex operibus nostris attendas, non credens sermonibus detractorum,

qui ad tuum potius detrimentum immisiones per malos angelos facere moliuntur; non tam ut tu contra fidem apostolicam movearis quæ ut nostra circa te conscientia vulneretur. Cum autem Dominus tempus tibi concederit opportunum, quo possis feliciter imponere laboribus tuis finem, vide ne in vacuum gratiam ejus accipias & accepto tempore negligas causam tuam; sed opportunè ac importunè insistas ut quod quærvis invenias, & accipias quod expetis & exoptas. Quia verò, sicut accepimus, in manu forti es Sueviam intraturus, volumus ut indemnitas Ecclesiæ & religiosorum locorum quantumcumque poteris studeas provide-re, cavens follicitè ne monasterium de Salem, in quo fratres Cisterciensis ordinis laudabiliter conversantur, destruantur occasione hujusmodi vel enormiter & graviter opprimatur. Ceterum quoniam, ut docet Apolitus, non omni spiritui est credendum, sed probandi sunt spiritus si ex Deo sint, cum frequenter angelus Sathanæ transfiguraret se in angelum lucis, & sepe immisiones fiant per angelos malos, verentes ne fraudibus noceat qui viribus noce-re non potest, super quibusdam quæ dilectus filius H. Aquilegensis nuntius tuus nobis proposuit ob cautelam nostram & commodum tuum ad præsens non duximus aliud respondendum nisi quod in omnibus te circumspicuum exhibeas ac prudentem, nec verbis detinearis inanibus, ut cum tempus acceperis, oblata tibi temporis opportunitas dilabatur, aut circumveniaris fraudibus exquisitis, ut quos habes amittas, & quos habiturus fueras non acquiras. Datum Anagniæ 111. Kal. Februarij.

*ARCHIEPISCOPI, EPISCOPIS,
Abbatibus, Ducibus, & aliis Principibus ca-
rissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni
in Romanorum Imperatorem electo faventibus.*

Sulet esse tam messis quam vindemia cultori gratior post laborem, & non solum mercenarius finem sui operis prætolatur, sed & vi-ri fortes habent menses vacuos, & dies sibi laboriosos enumerant, donec quod feliciter inchoaverunt feliciter exequantur. Sanè summa intentionis finis operis esse debet, nec solet incipere sapiens quod nolit aut nequeat consummare, sciens quod finis non pugna coronat, & non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit, nec currentes, sed percurrentes bravum apprehendant, aut coronentur qui nisi usque in finem legitimè decertaverit. Siquidem cum ad promotionem carissimi in Christo filij nostri il-lustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi tam in personis quam rebus plurimum laboraveritis haec tenus, nec fuerit labor vester inanis, immo planta quam plantasti diligenter & rigastis dederit Dominus incrementum, ita ut maturitati proxima jam spondeat uberes fructus vobis, cavete ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed eam potius tempore acceptis accepto, & cum via vobis pateat & sit oblata facultas, quia semper nocuit differre paratis, non queratis moras aut dilaciones captatis, sed eis omnino postpositis, quod bene cœpistis, quantum permiserit Dominus, com-

Epist. 108.